



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

**Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo**

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

illata infinitæ Majestati divinæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

an sit ratio dicendi tam intrepidè ;
non pecco, ut Deum offendam, sed ut
mihî satisfaciam.

PUNCTUM II.

Quis sit offensus?

3. *Nonne Dominus ipse, cui peccavimus.*
2. *Isaiæ 42. 24.*

II. **C**ONsidera, Quis sit ille, quem
contemnis. Finge intellectui
tuo pulchritudinem tam excellentem,
quæ solo sui aspectu omnium rapiat
corda mortalium, ita ut vel semel eam
uno duntaxat momento intueri, sit
longè æstimabilius, quàm per multa
annorum secula frui omnibus hujus
mundi voluptatibus. Finge Majesta-
tem tam sublimem, cujus in obsequi-
um omnia perpeti tormenta plus va-
leat, quàm toti mundo dominari. Fin-
ge bonitatem tam immensam; quam
unâ solùm cogitatione offendere pe-
jus sit, quàm re ipsâ in nihilum redi-
gere cœlos, naturam destruere univer-
sam. Atque his omnibus cogitatione
atque animo conceptis, quotam essen-
tiæ divinæ partem censes te attingisse?
est

Consideratio I. 9

est enim-verò infinite adhuc major
omni eo, quod concipere intellectus
noster potest. Finge plures semper &
plures perfectiones, eàque centies,
millièsque multiplica, arithmetica
proportione eas compara stellis firma-
menti, aëris atomis, guttis aquæ; scito
tamen, enormem hanc multitudinem,
Dei perfectionibus collatam, infinitis
modis adhuc esse minorem, quàm sit
exilis vermiculus, cum toto compa-
ratus universo. Quid igitur animo
concupis; cum Deum audis, quid pu-
tas hâc voce significari? nempe fuisse
omni tempore, occupare omnem lo-
cum, scire omnem veritatem, possidere
perfectiones omnes, posse, quantum
libet, omnibus denique bonis frui.
Rectè ais; hunc tu autem Dominum
universorum, qui major est omni no-
stro cogitatu, melior omni eo; quod
usquam est, fons & origo rerum om-
nium, qui solo sui aspectu æternùm
reddere te beatum potest, hunc tu
Deum peccato lethali probrosè laces-
sis? neque tamen expavescis?